

Sed cum neque in urbe quidquam moveri, neque Græcos tumultuari (quippe qui in montana loca secesserant) comperisset; tormento, quod *petardum* vocant, ad portam adhibito, eodemque tempore scalis mœnibus applicatis, ingressum in urbem molitur. At tormentum portæ humo oppletæ admotum, scalæ ad murorum æquandam altitudinem duobus minores cubitis inventæ, irritos conatus fecere; & erant qui dicerent, mœnia a Turcis in maiorem altitudinem excitata. Eo in tumultu quadraginta equites urbe egressi, quinque ac viginti Florentinos milites cædunt. Galli pedites ad centum & quinquaginta in equitum Turcarum manum cum incidissent, egregie ac fortiter, quinque ac viginti tantum desideratis, impetum sustinent. At cum omnia quieta Florentini perspicerent, nullumque, uti speraverant, ab oppidanis aut Græcis signum edi; ac reliquis incommodis illud accessisset, quod navigia annona ac comœatu onusta classis cursum assequi non potuissent, atque ob id omnium rerum penuria laborari cœptum esset: ad classem regredi statuunt. Centum ex Florentinorum militibus perire, in iis Alphonsus Montecuculus morbo absumptus.

Cypro digressis, Calaber expeditionis illius auctor, ne inglorii Etrusci Trituritam revertantur, Montio, ut Pylum aggreddiatur, persuadet: facile parum munitum oppidum occupaturum, eoque Florentinorum decus aliqua ex parte infau-cto Cypri eventu imminutum, retenturum. Verum (ut id genus hominum inconstans atque infidum plerumque est) cum secus eadem de re cum Antonio Mediceo differuisset, rei-que difficultatem ostendisset, Montius Antonio suum de Pylo expugnando consilium aperit. Ad ea Antonius, novo objici periculo eas copias non oportere, inquit: potius hæc optari, quam re ipsa perfici posse. Montius, id sibi facillimum fore Calabrum demonstrasse ait. Antonius ingentes objecisse difficultates affirmat. Tum vocato Calabro, cum ipse sibi minime constaret, abjectis de Pylo occupanda consiliis, ille fugam arripuit, Montius cum classe in Hetruriam rediit, aliis Ferdinandum carpentibus, quod nimium credulus difficillimam rem aggressus, in summum discrimen suas vires maritimas adduxisset; aliis contra ingentes ejus spiritus aususque Principe dignos summis laudibus extollentibus. Bembus
classis